



Disputatio problematica sexta de elementis

<https://hdl.handle.net/1874/340885>

DISPUTATIO PROBLEMATICA
SEXTA
DE
ELEMENTIS.

QUAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

D. M. ARNOLDI SENGVERDII

Lib. Art. Mag. & in Inclytâ Academiâ

Vltrajectinâ Philosophiæ Professoris
Ordinarii,

Publicè defendere conabitur

EVERARDUS de WEEDÉ Rheno-Trajectinus.

Ad diem 28 Iunii hora nona matutina.



RHENO-TRAIECTI,

Ex Typographiâ

Ioan. à Noortdyck, & Wilhelmi Strickl.

Anno c^o l^o c^o xliii.



Avito Stemmate, & Prudentiâ, claris Viris Dominis,

D. IOHANNI de WEEDE, hujus Urbis Con-
suli, & nuper inter Illustrissimos Fœderati Belgii Ordines De-
putato, Parenti suo, semper filiali amore, & observantia colendo.

D. EVERARDO de WEEDE, I. V. D. hujus
Provinciae Procuratori Generali, & Reverendissimis Nobilissi-
misq; Viris Dominis Decano, & Metropolitanæ Ecclesiæ Ultraj-
Canonicis à Secretis, Patruo suo, nunquam non honorando.

D. CHRISTIANO de CVYPRE, ejusdem
Ecclesiæ Canonico dignissimo, & illustrissimis Dominis Ordini-
bus dicti Fœderati Belgii in Senatu maritimo Middelburgi
à Consiliis.

UT ET

Clarissimis, Doctissimisque Viris

D. CYPRIANO REGNERI ab
OOSTERGA I. V. D. ejusdemque Facultatis
in alma Trajectensium Academia Professorei celeberrimo.

D. ARNOLDO SENGVERDIO
L. A. M. & in eadem Academia Philosophiæ Pro-
fessori acutissimo.

D. IOHANNI de VRIES Historiarum,
& linguarum peritissimo, Gymnasii Hagienfis
Regenti indefesso.

de studiis
suis opti-
me meritis.

*Hæc studiorum suorum primitias in debite observantia
tesseram*

offert

EVERARDUS de WEEDE

Auctor & Respondens.

DISPUTATIO PROBLEMATICA

S E X T A,

DE

E L E M E N T I S.

T H E S I S I.



*E*lementi vox varie accipitur, aliquando enim cujuslibet rei. principia tam artificialia, quam inartificialia, dicuntur elementa, & sic littere dicuntur elementa dictionis: aliquando vero per elementa intelliguntur principia generationis corporis naturalis; sed nos neutro modo considerabimus, sed agemus de elementis corporum mixtorum: verum quoniam vel ratione naturæ suæ, vel quatenus ad mixti generationem concurrunt, vel quatenus sunt partes mundi, considerari possunt, de illis ratione naturæ suæ, & tanquam partibus mundi agemus. Illa recte nobis videntur definiiri, *Corpora simplicia, ex quibus mixta primo oriuntur, & in quæ ultimo resolvuntur.*

II.

Elementa sunt vera *corpora*, & constant ex materia & forma substantiali; dicuntur *corpora simplicia* non ea ratione, quod non sunt composita ex materia & forma; sed eo tantum modo, quod non sunt mixta ex corporibus prioribus, distinguuntur à cœlestibus corporibus, quæ etiam simplicia sunt, quod ex illis non procreantur mixta.

III.

Quær. An hæc definitio sit perfecta?

Hanc definitionem plurimi defendunt Philosophi, ut qua perfectior, & ad rem propositam magis accommodata hæctenus à nemine Philosophorum sit prolata: quam & nos, quoniam in ea nihil omissum, & nihil temere positum videmus, tuebimur, & ad contra-

Handwritten notes in cursive script, likely a library or ownership stamp, running vertically down the right margin.

ria argumenta, quibus nonnulli eam destruere volunt responde-
bimus.

I V.

Objiciunt aliqui, mixta ex elementis non primo oriri, nec ultimo
in ea resolvi, cum elementa constant ex materia & forma: sed re-
spondemus, hæc verba, scilicet primo oriri, & ultimo resolvi, non
intelligenda esse, quod ex nullo alio oriantur, vel in nullum aliud re-
solvantur, quod certissimum est; sed tantum, quod nec ex prioribus
corporibus sint orta, nec in ulteriora corpora resolvi possunt; mate-
ria vero & forma, ex quibus elementa constant, tantum corporum
partes, non vero corpora sunt.

V.

Præterea objicitur, quod mixta non generentur ex elementis, sed
potius ex semine cujusque generis. Respondemus argumentum
illud ineptissimum esse, & oportere, ut illi discant distinguendum
esse inter principia remota & propinqua, semen quidem est princi-
pium propinquum, sed tamen elementa principium remotum, cum
semen compositum sit ex elementis; quis enim crederet, qualitates
elementorum, calorem, humorem, frigus, & siccitatem, inter se
temperatas seminibus inesse sine elementis.

V I.

Quæ. *An materia omnium elementorum sit eadem, &
formæ diversæ?*

Materiam omnium elementorum, ut & omnium corporum sub-
lunarium (nam omnia corpora sublunaria, vel sunt elementa, vel ex
illis constant) unam eandemque esse, ex eorum mutua in se invi-
cem transmutatione patet; quæ enim in se invicem mutantur, ea ex
communi quadam materia constare, necesse est: quod autem diver-
sas formas, & eas substantiales habeant; ex eo colligitur, quod, si
formæ essent eadem, tum elementa specie non differrent (per for-
mas enim res distinguuntur) ac proinde unum ex alio non posset
generari.

Quæ.

VII.

Quærit. *Quenam sit forma elementorum?*

Elementorum formas substantiales esse, non est dubitandum, verum tamen accuratissime eorum essentia non innotuit, neque illæ facile cognosci poterunt, quoniam non incurrunt in sensus, per quos cognitio fit. Quod autem aliqui qualitates primas eorum formas statuunt, hanc ob rationem absurdum est: quia materia nulla existit sine forma substantiali; qualitates autem primæ sunt accidentales formæ, ergo non possunt esse formæ elementorum: qualitates primas formas accidentales esse, ex eo manifestum est, quod nulla substantia est sensibilis, qualitates sunt perceptibiles tactui, & sensibiles, ergo substantiæ esse non possunt. Deinde etiam nulla substantia recipit magis, & minus, & qualitates recipiunt magis & minus.

VIII.

Quatuor dati elementa, ignem, ærem, aquam, & terram ex quatuor combinationibus possibilibus probamus; Tot enim sunt elementa quot sunt qualitatum primarum combinationes. Atquæ quatuor tantum qualitatum combinationes sunt possibiles, ceteræ enim duæ impossibiles, nempe calidi & frigidi, humidus & siccus: quæ in uno subjecto consistere nequeunt. Sed tamen non desunt, qui hunc numerum destruere conantur, quorum argumenta paucis diluemus.

IX.

Primo sunt nonnulli, qui nullum esse elementum statuunt, atque hoc imprimis argumento utuntur. Omne elementum debet esse corpus primum, simplex, expers figura, colorum, saporum, & odorum, quale nullum sub cælo reperitur, saltem nulli ex elementis enumeratis competit. Resp. Aliud esse querere, an sint quatuor elementa, aliud vero, an pura, & sincera in universo reperiantur, si enim elementa impura, & permixta appareant, non destruit conditionem elementi, atque hoc argumento nihil aliud probatur, quam elementa non reperiri pura, & sincera.

X.

Secundo aliqui reperiuntur, qui duo tantum elementa esse dicunt, nempe terram & ignem, hâc præcipue inducti ratione, Elementum cum sit simplex debet esse extremum non medium. Atqui aqua & terra sunt mediæ, inter duo extrema, ignem scilicet & terram, Ergo. Respondemus medium esse multiplex: aliud enim dicitur medium per mixtionem & compositionem, aliud medium per comparationem & relationem, & aquam & terram esse media per comparationem & relationem, non media per compositionem, at vero medium per comparationem, elementorum conditionem non evertit.

X I.

Sunt & alii, qui ignem inter elementa numerandum negant, licet communis Philosophorum opinio optimis rationibus contrarium tueatur, horum argumentis allatis, aliorum quoque rationem paucis solvemus. Prima ratio est, si nullus sit ignis elementaris, sequitur nullam esse aquam, quod est absurdissimum. Ratio est, quia alioquin non foret mixtio, sed potius corruptio, nam non potest esse temperamentum inter duo frigida, aquam scilicet & terram, & unum calidum, nempe aërem, nec inter duo humida, aquam scilicet & aërem, & inter unum siccum, nempe terram. Deinde ex quatuor combinationibus, de quibus jam diximus, hoc idem patet, calidi & sicci, calidi & humidi, frigidi & humidi, frigidi & sicci, nam cum tribus postremis combinationibus respondeat aër, aqua & terra primam ignem constituere necesse est, & proinde ignem esse calidum & siccum.

X II.

Huic objicere solent adversarii nostri. Id quod est mixtorum elementum, in omni perfecto mixto debet reperiri. Atqui hoc igni non competit, quia in natura dantur mixta summe frigida
in

In quibus ignis, qui sine calore non servatur, locū habere non potest.
Resp. quod si mixta reperiantur frigidissima adeo, ut nihil ignis in illis reperiri videatur, non putandum esse ea omnino esse ignis expertiam, cum frigidissima dicantur modo comparative, sive cum respectu ad alia mixta, in quibus major calor datur.

XIII.

Locus ignis naturalis est supra aërem sub concavo Lunæ, cum ignis sit elementorum levissimum, an vero ibi ignis detur, non adeo certum est, nos tamen jam, ignem ibi dari, statuemus; contra hanc sententiam obijciunt, quod ignis nisi ligna, aliave materia combustibilis subjiciatur, extinguitur, & quod supra spheram aëris non potest hujusmodi pabulum suppeditari. Resp. Ignem quidem extra spheram propriam, undiq; contrariis obrutum, pabulo indigere, sed in naturali loco adversariorum immunem, sua se amplitudine, conservare.

XIV.

Præterea hoc argumentum adferunt, si ignis supremam mundi sublunaris regionem obtineret, luceret utique, & proinde conspiceretur, sed hoc falsum est: ergo & illud. Respondeo, ignem esse simplicissimum, & rarissimum, & propterea non lucere, nec in sensum cadere: quoniam autem lux corpus non reddit visibile, nisi densum sit, ideo ignis propter summam raritatem à luce non potest reddi visibilis, corpora enim conspicua, quo sunt rariora, eo minus conspiciuntur, aër minus videri potest, quam aqua. Præterea illa conclusio etiam concluderet, plurima Cœli partes non dari, cum & ipsæ ob raritatem non videantur.

XV.

Objiciunt alii, quod si ignis sub concavo Lunæ esset, cum maxima

ma agendi vi polleat, ejusque immensæ voracitati proxima quæque in pabulum cedant, jamdudum reliquis elementis interitum attulisset, jamque torus sublimaris mundus incendio devastasset. Præsertim cum aëris humor calori ignis neutiquam resistat, humiditas enim minus vehemens est, quam ut illius impetum sustineat. Ad quod dicendum est, ignem multipliciter cohiberi, ne alia corpora absumat, tum astrorum influxu, præsertim autem Lunæ & Saturni, per innatam ad id proprietatem, tum etiam à vicino aëre.

XVI.

Denique rogant, cur, quanto altius supra montes elevamur, tanto minus à calore turbamur, cum aërem frigidiorum invenimus & in montibus altissimis nives congelatæ & perennes reperiantur. Respondemus primo, eam elevationem in montes scilicet, valde exiguam esse, relata ad cælum: secundo, ob distantiam radiorum solis à loco repercussionis: tertio illud evenire ob majorem vaporum copiam à ventis agitatum, denique quia ignis ob raritatem non valde calefacit nec comburit.

FINIS.

